

in domibus episcopalibus ejusdem Ecclesie a comite A Henrico cognomine Stephano, et Adela uxore ejus, concessione filiorum suorum Willelmi, Theobaldi, Odonis. Stephani, remissam et libertatem predictis domibus et rebus in eisdem collectis a predictis comitibus donatam concederemus, et nostra pragmatica sanctione firmarem.

Cujus pio desiderio assentientes, et æquissimæ postulationi aurem inclnantes, secundum tenorem scripti, quod de predictis rebus prætaxati comites fieri decreverunt, nostræ majestatis auctoritate res prætaxatas a prava consuetudine liberamus, domum scilicet, et domus ejusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, cæteramque suppellectilem, scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa vinaria, lectos, necnon coquinas et horrea, granaria, cellaria, B torcularia, furnos, furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem, silvas ut non vendantur, nec succidantur, nec dentur; annonam quoque, vinum,

ionum, oves, et boves, et cætera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata, vel collecta fuerint, sive in urbe, sive extra urbem, ante obitum, vel discessum episcopi cujuslibet, intacta manere firmamus: illis profutura quibus episcopus reservare, vel donare, seu per se, seu per œconomum suum decreverit, ut majores personæ Ecclesie, si id episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam ut exactio, quæ defunctis episcopis, vel discedentibus fieri solet in servientes episcopi vel rusticos, de cæterò numquam fiat.

Hec omnia sicut a predictis comitibus concessum est et firmatum, et nos, ut prædictum est, concedimus, et per pragmaticam sanctionem nostram firmamus testificante [testificato] caractere nostri nominis, et sigillo nostræ majestatis.

Philippus Dei gratia Francorum rex.

Actum et confirmatum Paris. anno Dominicæ Incarnationis 1105, anno vero regni nostri XLVI.

## PHILIPPI I REGIS

### EPITAPHIUM TRIPLEX.

(DUCHESSNE, *Historiæ Francorum Scriptores*, tom. IV, 167.)

#### I.

*Ex veteri libro ms. D. Alex. Petavii senatoris Parisiensis.*

Septem milleno centum simul adde resecto,  
Tuncque scies annum, Regem subisse Philippum  
Ingressum mortis diræ nulli renuentis,  
Augusto quartas Orbi signante Calendas,  
In feria dicta Sylvestri dobmate quarta.

#### II.

*Ex alio ejusdem domini Petavii codice.*

Francorum summus latet hac tellure Philippus,  
Rex fuit hic magni progenies Priami.  
Corpore procerus, vultu stellante serenus  
Imperio species congrua Romuleo.  
Strenuus in bellis, regni defensor aviti,  
Sellers consilio, providus eloquio.  
Insignis pietate, trucis coercitor iræ,  
Verbis jocundus, manibus et placidus

C Augusti ternis conscendit in ætra Kalendis,  
Annis sceptrum novem vigies et bis agens.

#### III.

Rex fueram prædives opum, linguaque disertus,  
Progenies regum, virtute potens, genus altum.  
Gloria magna mihi, qua tenditur æmula virtus.  
Hac tumulatus humo naturæ debita solvi,  
Ac cinis in cinerem sensi datus ecce quid essem.  
Heus! quid honor, quid opes, quid gloria, quidve  
[potestas?

Ast petii, Benedicte, tuam specialius ædem,  
Ætheream concede rogo precibus mihi sedem.  
Julius exactis dum lucibus iret ad assem,  
D Spiritus Augustas cessit meus ante Kalendas.  
Qui legis hæc, meritam minui mihi Judicis iram  
Exige sed precibus faveas his, Christe Redemptor.